DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

TYPHO

COMPLECTENS.

AUCTORE ANDREA BULLIONS.

Inter morbos varios et fere innumeros, quibus genus humanum obnoxium est, nullus attentionem medici, præ eo, de quo consilium est mihi in hoc opusculo agere, sibi vindicat; quippe qui longe lateque per populos grassetur, et periculum summum inferat; nec juvenes viribus freti, nec labentibus annis fractique debiles senes, hac dirissima peste incolumes sint.

DEFINITIO.

A Culleno celeberrimo, Typhus ad classem Pyrexiarum ordinemque Febrium refertur, atque verbis sequentibus definitur:

"Morbus contagiosus; calor parum auctus; "pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; "urina parum mutata; sensorii functiones plu- "rimum turbatæ; vires multum imminutæ."

In hac definitione, et sub hoc nomine, omnes febres contagiosas, praeter synochum, Cullenus comprehendere vult; sed hic quoque, pro varietate tantum, ut Professori Gregory visum est, haberi debet.

HISTORIA MORBI.

Quamdiu post corpus causis excitantibus objectum morbus in eo latere possit, inter medicos

adhuc parum constat: hoc pendere videtur, ex proclivitate corporis ad contagionem recipiendam; cœli intemperie; vehementia contagii; et temperamentis ægrorum diversis.

Plerumque post quosdam dies elapsos, æger de languore et debilitate conqueritur; languent oculi, dolent dorsum, partesque extremæ, quæ solito infirmiores sunt. Caput vertigine aut ponderis sensu aut dolore laborat; mens subinde vagatur; tremunt manus; depressio est quoque animi; molestiæ sensus totum corpus pervadit.

Friget ægrotans et ad focum diu assidet; frequentes insuper alternationes frigoris calorisque sibi invicem succedunt, donec, sensu frigoris brevi tempore omnino cessante, calor corporis major solito fiat. Nox est inquieta, et somnus, si quando accesserit, plerumque brevi aufertur, et parum reficit. Pulsus debilis et plerumque frequens; respiratio difficilis, præsertim sub nocte; lingua etiam muco tenui et subalbido obtecta; ventriculus languidus omnes cibos recusat, sed præsertim ex carne confectos; nau-

sea et nonnunquam vomitus una cum siti adest; alvus adstricta est. Hoc, vel modo simili, per primos dies, afficitur ægrotus.

Die quinto vel sexto, interdum aliquanto citius seriusve, omnia hæc signa graviora fiunt; et viribus fractis, de debilitate adeo magna conqueritur æger, ut syncope, cum erectam positionem tenere conatur, urgeat. Horror, vertigo, et capitis dolor magis magisque nunc sæviunt; et tinnitus aurium, necnon delirium, supervenit. Oppressio circa præcordia laboriosa, nausea, vomitus, et dolor partium corporis diversarum vehementius opprimunt; omnia quæ signa ad vesperum semper augentur, plerumque cum remissione matutina.

Interdum vultus confusus et rubescit; tunica albuginea oculorum sanguine turgida, et indistincta est; arteriæ temporales fortiter micant, et caput admodum dolet: nunc adest sæpe delirium, nonnunquam vehemens, plerumque autem generis demissi; calor quoque ad gradum 102^{dum}, 104^{tum}, et interdum usque ad 105^{tum} thermometri Fahrenheitii; raro altius

ascendit, sed nonnunquam etiam parum augetur.

Superficies linguæ, initio, subalbida est; nunc arida, et crusta nigra glutinosa tecta evadit: per totum morbi decursum interdum est mollis et humida, margine luteolo vel subviridi perstante. Gustus sæpe depravatur. Sitis plerumque non adest magna, interdum vero haud sedanda. Modo æger potum omnigenum, utpote gustui maxime ingratum, aversatur et respuit.

Toto corpore adeo laborante, pulmonibus sua mala haud desunt. Respiratio summo labore perficitur; suspiria ab imo pectore crebro ducuntur; ægrum anxietas et sensus alicujus præcordia quasi constringentis invadunt. Morbo ingravescente, spiritus fervidus, fœtidus, ingratusque est, et dentium radices crusta nigricante obducuntur. Urina primo pallida et limpida est, vapidæ cerevisiæ haud absimilis; sed, in processu morbi, fusca vel nigra, cum fœtore putrido, fit: nunc alvus sæpe laxa fit, et dejectiones virides vel nigræ, frequenter admodum fœtidæ et sanguine mistæ, interdumque torminibus comitatæ.

Morbo ineunte, auditus nonnunquam acutissimus est; modo vero surditas accedit: modo per morbi decursum auditus multo fit hebetior. Vitiatus est quoque sensus visus; et fine fatali instante, subinde exilit ægrotus, et appetere res, quas conspicit, ante ipsum transeuntes, conatur, vel digitos applicat stragulis, quæ ipsi virgata vel cum maculis nigris obtecta, apparent. Pulsus frequentissimus, nonnunquam abnormis vel intermittens, adeoque debilis, ut vix, aut ne vix quidem enumerari possit, evadit.

Stadiis morbi postremis, sanguis sub cutem interdum effunditur, cui petechiæ vel vibices attribuendæ sunt. Hæ petechiæ, modo subfuscæ, modo lividæ, in variis corporis partibus, sed potissimum in pectore dorsoque apparent. Aphthæ coloris albidi, fusci vel subnigri, sæpe in ulcera abeuntes, in faucibus haud raro cernuntur.

Interdum est proclivitas ad gangrænam, quæ in illis corporis partibus pressuræ expositis potissimum apparet; et hæmorrhagiæ e naribus, gingivis, et aliis partibus nonnunquam erum-

punt. Æger, ore aperto, resupinus jacet, et ad lectum imum delabitur; raro se movet, vel corporis posituram mutat. Omnes nervi tremoribus et vellicationibus multum affecti observantur. Subsultus tendinum, cum manuum motibus non voluntariis succedit. Jamjam delirium gravius urget, et æger disjuncta mussitat, et quæ nemo astantium intelligere valet.

Tandem, signis omnibus gravioribus factis, debilitas magis magisque urget; sudores frigidi glutinosique, copiosiores et constantiores fiunt; odor fœtidus totum corpus pervadit; fæces urinamque æger inscius reddit; singultus, tremores universi, diarrhœa perpetua et convulsiones superveniunt.

Tempus quo hic morbus cursum suum complet, in diversis casibus, valde variat: interdum æger non, nisi post aliquot dies, sese in lecto continet, sed plerumque sub hebdomadæ initio tertiæ tantum decedere incipit: non quidem exempla desunt, in quibus ad hebdomadam quintam vel sextam sese protraxit.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Inter causas prædisponentes, omnia, quæ corpus humanum debilitent et infirment, medici annumeraverunt; scilicet, pervigilium, Venus immodica, et intemperantia omnigena; fatigatio magna, quacunque via inducta; morbi præeuntes corpus reddentes infirmum; exinanitiones nimiæ; vita studiosa et sedentaria. Affectus animum deprimentes, anxietas nimirum, mœror vel metus, ad hunc morbum etiam prædisponunt. Eosdem effectus habere solent concoctio tarda vel prava; frigus, præsertim humori junctum; aër inquinatus, et diæta tenuis atque parca, vel e rebus parum nutrientibus constans. Omnia vel plura horum, simul concurrentia, corpus humanum ita debilitant, ut hoc magis causis excitantibus opportunum reddant.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Halitus ex corpore humano, vel ex substantiis putridis, sive ex animalium excretis, sive ex cadaveribus, magna copia collectus, vires acquirit, adeo ut corpori humano, potissimum ei obnoxio, admotus, morbum, de quo agitur, excitet. Halitus vel effluvia sic potens contagium vocatur.

Contagium, ex corpore humano, vel sano vel morbido, sæpe oritur; halitum enim pulmonum materiamque subtilissimam ab omni cutis foramine continuo manantem, si diu eodem in loco coercita sint, neque per auras diffusa, egregie acria evadere, febrisque admodum contagiosæ causam præbere excitantem, quorum non desunt plurima exempla, satis manifestum est. Contagium, igitur, ex carceribus et valetudinariis, sed præcipue ex valetudinariis castrensibus et classiariis, atque ex navibus carcerariis, ob has causas, originem sæpe ducit. Domus pauperum, præcipue magnis in oppidis ac cænosis,

qui, ut frigus hibernum vitent, ostia fenestrasque claudunt, quo et lux et aër purus excluduntur, munditia simul non servata, receptacula typhi sæpissime evadunt. Secundum auctores, effluvia ex corporibus hominum quibusdam morbis laborantium orta, hanc febrem sæpe excitant. Inter causas excitantes, exhalationes ex rebus putridis natæ, atque miasmata paludum, etiam enumerantur.

Contagium semel generatum contactu, vento, vestibus, et mercium colligatorum sarcinis, propagari potest. Aliquando etiam supellectili, domum parietibus, quæ penetraverit, diu inhæret, et, occasione oblata, identidem familiam typho afficit. Materiæ ita vitiatæ medicis fomites appellantur; quæ illud sæpe diu conservant, etiamque ad distantiam magnam vehere possunt. In iis enim latens, in alias aliasque urbes et regiones invehitur, et interdum navibus mercatoriis trans mare trajectum, terris longinquis incubat, et incolas inopinantes acervatim enecat. Hoc saltem affirmant omnes auctores qui de contagio disserunt. Morbum ex fomitibus con-

tractum magis periculosum esse quam ex homine ipso laborante, medicis vulgo creditum est. "It appears to me probable," inquit celeb. CULLENUS, "that contagions as they arise "from fomites, are more powerful than as they "arise immediately from the human body."

Neque contagium longe lateque per auram se dispergit; sed non in typho solum, verum etiam in omnibus aliis morbis contagiosis, fortasse ad paucas ulnas, verisimile ad paucos pedes, tantum ab ægrotis in aëra extendit. Huc illuc tamen vento pervehitur, et morbus ad distantiam e corporibus febricitantium haud parvam hoc modo impertiri potest. Res sic existere, id quod fore juridico Londini (Anglice Old Bailey) olim accidit, satis demonstrat. Aër quoque humidulus et impurus ad contagium vulgandum multum operæ confert.

DE DIAGNOSI.

Morbus solus, a quo summi sit momenti typhum distinguere, Synocha est. Typhus pulsu frequente, debilitate perinsigni, et interdum subita; modo lento aliquandoque leni, quo sæpe impetum facit; necnon genere nervoso plurimum laborante, facile dignoscitur. Dum quoque in synocha facies rubra, in hoc pallida est, et animus admodum demissus.

Synocha, per totum ejus decursum, signa graviora, et quoque diathesin phlogisticam manifestat: atque præ cæteris robustos invadit. Typhus, contra, laxos, generisque nervosi debiles, plerumque infestat.

DE PROGNOSI.

Symptomatum faustorum et infaustorum vim annotando, prognosis constituenda est.

Signa infausta sunt facies pallida et collapsa, cum musculorum motibus abnormibus; oculi languidi et hebescentes, cum pupilla magnopere dilatata; debilitas adeo magna, ut æger in latus convertere non valeat, sed supinus cubet, et ad imum lectum delabatur; lingua arida, unaque cum dentibus labiisque crusta subnigra tegitur; quum, corpore erecto, syncope accidit: delirium permanens vel coma supervenit: subsultus tendinum et suppressio urinæ eveniunt: pulsus frequens, valde debilis vel inæqualis, aut præter solitum tardus fit: quum spiritus imbecilliter, crebro, cum labore et suspirio frequente, sine primaria pulmonum affectione, trahitur et emittitur; vox a naturali multum mutatur; quum æger secum perpetuo mussitat,

in vestibus floccos legit, et visus ei deficit, vel queritur se videre muscas ante oculos volitantes; deglutitio difficilis; ventriculi debilitas, cum anorexia, nausea, et vomitu; dejectiones frequentes, cruentæ, fœtidæque; quum fœtet illi anima, odor putridus totum corpus usque pervadit, et urinam et fæces male olentes inscius reddit; frigidis glutinosisque sudoribus etiam comitantibus: quum singultit, extremitates frigescunt, unguesque livescunt; et hæmorrhagiæ et maculæ gangrænosæ in variis partibus superveniunt: etiam tremores universi, et convulsiones, mortem subesse testantur.

Caloris tamen sitisque diminutio; lingua humida et nitida; cupiditate cibi redeunte; pulsus plenior, fortior, minusque frequens; sudores lenes et grati per totum corpus æqualiter diffusi; atque etiam diarrhœa mitis sub morbi finem, bona signa habenda sunt. Magna copia urinæ sedimentum deponens, exitum quoque benignum portendere dicitur. Faustum est etiam ubi vox parum mutatur, vel, si mutata fuerit, ubi naturalis iterum evadit. Somnus per noc-

tem, delirium cessans, cum doloris capitis remissione, spem præbent salutis rediturae.

DE RATIONE MEDENDI.

In duobus stadiis hujus morbi duo consilia medendi sese offerunt: nempe, impetum febris rumpere, eique occurrere, si fieri non potest, signa urgentia mitigare.

Ad primum consilium, duo remedia summis laudibus merito elata sunt: Affusio Frigida, nimirum, et Emetica.

Frigida affusio, ad febrem invadentem arcendam, plurimum operæ confert: si sine mora post impetum adhibeatur, et si calor corporis non minor sit quam gradus nonagesimus octavus instrumenti Fahrenheitii; si nullo sensu frigoris, vel algoris, vel sudationis, signis catarrhi absentibus; nulla ex tribus magnis cavis corporis inflammatione correpta; nunc aqua frigida, tanto melius, si salsa, super corpus ægri nuda-

tum ex alto fundatur; quo facto, æger bene siccandus, atque statim in lecto locandus est.

Post affusionem frigidam, arteriarum ictus validiores et tardiores evadunt; calor multum imminuitur; sudor levis et æqualis excitatur; dolor capitis et sitis fere evanescunt; animus tranquillus et collectus fit; et ægrotus in somnum quietum reficientemque incidit. Si vero supra modum calor revertit, iterum iterumque repetatur affusio; quo vel mitiorem se declarat febris, vel e conspectu omnino evolat.

Si affusionem frigidam præscribere, quia morbus aliquot dies jam perstiterit, medicus timeat, ablutio per spongiam corporis aqua frigida vel tepida, prout calor sit, cum aceto mista, magis convenit, ad calorem morbi depellendum, et sudorem eliciendum.

Bene notum est emetica, cum mature adhibeantur, si non febrem invadentem solverint, saltem leniorem fecisse. Emetica non solum ventriculus depletur, sed etiam totum corpus, maximeque genus nervosum, vehementer concutiuntur, morboque occurritur. Emetica quo-

que alvum movent, cursum humorum ad cutem promovent, corpus etiam infirmant, ideoque somno fortasse favent. Nunquam, tamen, post quintum vel sextum diem adhiberi debent; quia febrem tunc discutere vix possunt, et periculum est, ne a debilitate quam inducunt, ægro noceant.

Inter medicamenta vomitoria, ipecacuanha et tartras antimonii præcipua sunt.

Professor Gregory hanc febrem ab ipecacuanha, multo sæpius et certius autem tartrate antimonii, discutere valuit. Hæc optime adhibetur soluta in aqua, et in dosibus parvis repetitis, usque dum vomitum moverit.

Cathartica ad febrem tollendam haud raro exhibentur; sed his, hoc consilio, minime fidere oportet. Sed in typho præcipue conveniunt; nam alvus astricta plerumque typhum comitans, symptomata omnia intendit. Sunt autem non solum utilia, ad intestina deplendum ex rebus acrioribus et putridis quæ jam in corpore subsunt, et corpori multam irritationem dant, verum etiam ad impetum sanguinis caput versus auctum tollendum. Doctor Hamilton ita

scripsit de remediis purgantibus: "I have di-
"rected a strict attention to this practice for
"a long time, and am now thoroughly persuad-
"ed, that the full and regular evacuation of the
"bowels relieves the oppression of the sto-
"mach, cleans the loaded and parched tongue,
"and mitigates thirst, restlessness, and heat of
"surface; and that thus the latter and more
"formidable impression on the nervous system
"is prevented, recovery more certainly and
"speedily promoted, and the danger of relaps-
"ing into the fever much diminished.

"I am disposed to refer the superior utility
"of purgative medicines, in typhus fever, to the
"circumstance of their operating through the
"whole length of the intestinal canal; to their
"acting upon an organ, the healthy functions
"of which are essential to recovery, in a man-
"ner that is consonant to the course of nature,
"by propelling its contents from above down-
"wards; and by their moving and completely
"evacuating the feculent matter, which, in this
"case, becomes offensive and irritating. Con-

" stipation, together with the change which fe-
" ver appears to produce in the fluids secreted
" into the intestines, seems to be the cause of
" this alteration in the state of the fæces.

" The purgative medicines which I have
" chiefly employed in fever, are, calomel, calo-
" mel and jalap, compound powder of jalap,
" aloes, solutions of any mild neutral salt, in-
" fusion of senna, and sometimes the two last-
" mentioned medicines combined *."

Secundum consilium medendi est, ut antea dictum, signis molestioribus obstare.

Opium, quum pervigilium ægrum vexat, ad somnum efficiendum, signis inflammationis absentibus, dare licet; si tremores aut subsultus tendinum aut convulsiones sese manifestant, vitaeque ægri minitantur, hoc remedium potentissimum largiter adhiberi oportet.

Vinum rubrum, sine dubio omnium stimulorum certissimum, gratissimum tutissimumque, atque maxime permanens, quoque ventriculo

* Vide Hamilton on Purg. Med.

gratum est; et cum tanto aquæ dilui, quantum parva quantitate adhiberi possit, donec ejus effectus sedulo notaverimus. Si æger vino gaudet, si hoc pulsus firmat, delirium demissum minuit, et vires reficit, deinde perstare licebit. Quum vinum obtineri nequit, vel ægro non congruit, spiritus distillatus multa aqua dilutus, et cum saccharo commistus, qui vernaculo "*whisky* "*punch*" vocatur, substitui potest.

Vesicatoria, ad capitis, thoracis, et ventriculi affectus levandos, nunc plerumque tantum usurpantur; tamen, si putredinis vel tremorum indicia apparuerint, plane adhiberi non debent; capillitii autem abrasio, et lavatio frigida, omnia commoda ex iis expectanda plerumque præbent. Ad nauseam et vomitum amovendum, haustus salinus effervescens bene respondit. Diæta ex fructibus maturis, sago, ptisana, aqua avenacea decocta, omnibusque aliis concoctu facillimis, constare debet. Ad potum aqua gelida vel pura vel acido limonum acidula, cerevisia tenuis, lac cum aqua mistum, multaque alia hujusmodi maxime conveniunt.

Curandum etiam est ut aëri impuro non objiciatur æger; nam hoc in casu parum boni a remediis fieri potest. Ergo etiam aër purus libere in cubiculum febricitantis admissus, nequaquam negligi debet. Summa munditia observanda est; hinc indusium, et lodices cubilis, mutare semel bisve in die ægrum oportet. Præter hæc, necessarium est, per cursum totum morbi, irritationes omnes vitare, præcipue ab calore externo.

Postremo, his omnibus nunc memoratis rite perpensis, et prudenter adhibitis, cum morbus fauste desierit, et æger convalescere inceperit, maxima cura utendum est, ne iterum in febrem recidat, corpore ejus debili et tenero manente: et monendus est, ut modica exercitatione utatur, sed a fatigatione, quæ semper nocet, cavendum est.

FINIS.